

02 H 12 10





H 1265

Q. D. B. V.

EMENDATIO DOCTRINAE PRACTICAE
DE

CORREIS

EORVMQVE MVTVVA ACTIONE
(VVLGO REGRESSV)

QVAM
PRAESIDE

DANIELE FRIDER. HOHEISEL

I. V. ET PHIL. D. AC REGIAE BORVSS.
SOCIET. SCIENT. SOD.

IN FRIDERICIANA ACADEMIA

D. XXIIIX. SEPTEMBR. MDCCXXXI.

H. L. Q. C.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIET

IOHANNES VALENTINVS HOLST
RIGENSIS LIVONVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS IOAN. FRIDERICI KROTTENDOREFII, ACAD. TYP.



EMENDATIO DOCTRINAE PRACTICAE
DE

CORREIIS

MORVMQUE MVTVA ACTIONE

(UNIVERSITÄT)



DANIELLE FRIDERICI HOEISEL

M. D. PHIL. D. AC. REGIAE BORVSS.
SOCIET. SCIENT. SOD.

IN FRIDERICIANA ACADEMIA

D. XXIX. SEPTEMBR. MDCCLXX.

M. D. C.

PLACIDO ERVITORVM EXAMINI

SUBIICIT

IOHANNES VALENTINVS HOLST

RIGENSIS LIVONVS.

HABE MAGDEBVRGENSE
LITERS IOAN. FRIDERICI KOTTENDORFII, ACAD. PUF.



INCLUTAE CIVITATIS
RIGENSIS

SENATUI SPLENDIDISSIMO

VIRIS

MAGNIFICIS, GENEROSIS,
AMPLISSIMIS, CONSULTISSI-
MIS ET NOBILISSIMIS,

DNN. CONSULIBUS,

DNN. SENATORIBUS,

AC

DNN. SECRETARIIS,

PATRONIS AC MAECENATIBUS

OMNI PIETATE, OBSEQVIO, CULTU
DEVENERANDIS

QVAECUNQVE HOC SPECIMEN ACADEMICUM

DEDICAT

RESPONDENS,

MAGNIFICI, GENEROSI, AM-
PLISSIMI, CONSULTISSIMI AC
NOBILISSIMI DOMINI,

PATRONI AC MAECENATES,

QVA PAR EST, PIETATE PROSEQVENDI,



Aud immerito vereor,
ne arrogantiae cujusdam
notam incurram, quod AM-
PLISSIMA NOMINA VESTRA
specimini huic studiorum academico prae-
figere ausus fuerim. Sed tot tantaque in
me

me collata beneficia, quæ recenti memo-
ria teneo, jubent, ut gratam mentem pro-
fundamque NOMINUM VESTRORUM venera-
tionem, quo licet modo conspiciendam
præbeam, temporis simul in hac Musarum
sede consumpti rationes quodammodo
VOBIS redditurus. Animum addidit de-
cantata VESTRA erga eos, qui bonis litte-
ris operam navant, benevolentia, qua fre-
tus, Ipe fruor dulcissima, fore, ut teme-
ritati veniam impertiamini. Diducta ita-
que fronte suscipite, MECAENATES, hanc
addictissimi animi tesseram, meque ac co-
natus meos exoptatissimo VESTRO Patroci-
nio dignemini, ut VESTRO stipatus favore,
eo alacrius telam studiorum pertexere,
metamque ex voto contingere valeam.
Summum Numen ardentissimis fatigare
precibus pergam, ut VOS, PATRES PATRIAE
optimi, una cum splendidissimis familiis
VESTRIS salvos atque incolumes ad seram
ean-

eandemque tranquillam senectutem usque rebus humanis interesse jubeat, diu-
tissime Reipublicæ profuturos, ejus-
que incrementa promoturos. Faxit
Supremum Numen, ut saluberrima VE-
STRA atque ad emolumentum publicum
recto tendentia tramite consilia spera-
tos semper fortiantur eventus. Commer-
cia denique Deus omnium bonorum fons
sub tranquillo & consummatissimo VE-
STRO civitatis regimine magis magisque
efflorescere, atque in dies lautiora capere
incrementa benignissime largiatur. Ita
vovet

MAGNIFICORUM NOMINUM VESTRORUM

Cliens & Cultor obsequiosissimus

JOHANNES VAL. HOLST.




CONSPECTUS.

Scopus auctoris §. I. definitio communis correorum debendi §. II. Credendi §. III. Correorum credendi & debendi unicum est debitum, adeoque debito unius correorum sublato, reliqui liberantur §. IV. atque ubi uni ex correis credendi satisfactum est, reliquorum jus expirat. §. V. Correat debendi, qui totum solvit, solutum ab altero repetere nequit stricto jure, nisi ex aequitate jura cessa a creditore acceptit. §. VI. Nec stricto jure correat credendi ad partem alteri restituentam obstringitur: aliud tamen dicendum ex aequitate. §. VII. Fundamentum hujus doctrinae est stipulatio, tam in correis debendi, §. VIII. quam credendi. §. IX. Cum autem aequum esset, mutua correat actionem dari, ad cessionem confugerunt interpretes, cujus cessionis inconcinnitas ostenditur argumento 1) §. X. quod latius deducitur §. XI. argumento 2) §. XII. argumento 3) §. XIII. Proponuntur tres casus correorum debendi, tam pactis, quam lege constitutorum §. XIV. XV. XVI. Inde deducitur, correat obligationem esse negotium aliquod non principale, sed accessorium, quae jam plenius definitur. §. XVII. Quot modis contrahi possit. §. XVIII. Spectat ad merum jus creditoris §. XIX. $\pi\acute{\rho}\alpha\tau\omicron\nu$ dissentientium $\psi\epsilon\delta\delta\omicron\varsigma$ in stricta stipulationum interpretatione, quae tamen nostram potius confirmat sententiam §. XX. Non igitur correat possunt se invicem convenire ex instrumento, quo correat obligatio contracta est. §. XXI. Sed si ex contractu correat sint, ex eo quod inter ipsos actum est; quare vel actio pro socio, vel familiae herciscunda, vel mandati, vel negotiorum gestorum locum habebit, interdum omnis deficiet §. XXII. libelli formula §. XXIII. Quomodo fundamentum agendi probandum sit. §. XXIV. Prudentia suadet, correat inter se peculiari instrumento sibi debere prospicere, ne probandi
A 2
admi-

adminicula deficiant §. XXV. Qualis competat actio inter correos, si defunctus heredes suos correos constituerit. §. XXVI. Quid, si correalis obligatio immediate ex lege, contractum tamen supponente, descendat. §. XXVII. Datur correo solventi adversus correum actio, licet correi quasi ex delicto sint. §. XXVIII. Imo licet sint ex vero delicto. Occurritur objectioni: non dari actionem ex delicto §. XXIX. Haecenus disputata confirmantur lege atque auctoritate practitorum. §. XXX. De pluribus fidejussoribus correaliter obstrictis idem dicendum; agunt autem inter se actione mandati utili §. XXXI. Quanam correo, ab eo, qui solvit, convento, competant exceptiones. §. XXXII. Ventilatur ardua questio; quid juris sit, si creditor alteri correorum debitum remittat, eique simul jus suum adversus alterum cedat? §. XXXIII. Transitio ad correos credendi. Tres casus correalis crediti exhibentur. §. XXXIV. XXXV. & XXXVI. Natura crediti correalis & definitio ejus. §. XXXVII. Quot modis fiant correi credendi. §. XXXVIII. Regressus ex negotio principali competit ipsis inter se vel ad totum, vel ad partem restituendum: imo quandoque plane deficit §. XXXIX. Consensus Doctorum. §. XL.

§. I.



Argumentis, per formulariam veterum Jurisconsultorum jurisprudentiam corruptis, doctrinam de correis debendi ac credendi annumerare, nulli dubitantes, operæ pretium fore confidimus, brevibus evincere, materiam hanc secundum systema Jureconsultorum Romanorum minime coherere; adeoque & viros longe celeberrimos, atque in rerum argumentis versatos, inde recedere; denique quomodo se habeat, saltem habere debeat hodierna praxis, ex ipsis jurisprudentiæ naturalis & sanioris dictaminibus demonstratum dare. Respicemus autem

tem

tem inprimis ad actionem inter ipsos correos, quorum alter integrum debitum vel solvit, vel solutum accepit, locum habentem, quam vulgo regressum appellitant, hæc ipsa enim est actio, quæ cum principiis juris conciliari nequit. Attamen cum hæc exponi nullo modo possit, nisi natura *correalis crediti & debiti* penitus introspecta, de correis illa delibabimus, quæ nostrum ad scopum pertinere intellecturi sumus, omiſſis, qua fieri poterit, sollicitudine iis, quæ trita atque extra dubitationis aleam posita sunt.

§. II.

Correi debendi vocantur vulgo *plures debitores*, quorum singuli unicum debitum eidem creditori solidum ac æque principaliter debent. arg. L. 2. L. 3. §. 1. D. de Duob. reis stipul.

§. III.

Correi credendi dicuntur *plures creditores*, quibus singulis unum idemque debitum solidum ab uno eodemque debitore æque principaliter debetur. arg. L. 2. L. 9. §. 1. & 2. L. 15. D. L. 3. C. de duob. reis stipul.

§. IV.

Hoc itaque correi debendi & credendi invicem commune habent, quod unum tantum in iis occurrat debitum (§. II. & III.) Ergo ex quo unus correorum debendi satisfecit creditori, reliqui *ab eodem creditore liberantur*: Sive igitur solutum, sive per acceptilationem, sive alio legitimo modo debitum sublatum sit, *creditor nihil amplius a reliquis correis petere potest.* §. 1. F. de Duob. reis promitt. & stip. L. 2. L. 3. in f. D. Eod. L. 16. D. de Acceptil. L. 28. princ. §. 1. D. de Jurejur.

§. V.

Ex eodem principio (§. præc. adducto) sequitur: si uni ex correis credendi satisfactum sit, *perimi omnium credito-*

rum adversus ipsum debitorem competens jus. cit. §. 1. J. de Duob. reis prom. L. 2. D. Eod. L. 31. §. 1. D. de Novat.

§. VI.

Quæritur autem jam: nonne ei, qui ex correis debendi solus solvit, actio competat adversus alterum, vel reliquos correos, ad id, quod solutum est, aut partem ab ipsis recuperandum? Secundum meram & strictam juris rationem, locum esse isti actioni, Romani negarunt, idemque hodie multi interpretum contendunt: nisi creditor solutionem offerenti actiones suas *cesserit*, ad quam cessionem ipsum cogendum esse, Doctores censent. Conf. VINNIUS in *Commentario ad §. 1. J. de duob. reis stip. n. 4.* & passim commentatores ad J. & D. quos nominatim proferre, in re trita superfedemus.

§. VII.

Sic quoque quærent: an unus ex correis credendi, qui totum exegit, partem cum altero communicare cogatur? & monet VINNIUS *cit. l. nec eum*, si strictum jus sequimur, obligari, nisi vel focii sint, vel ita convenerit, vel natura obligationis id ferat. Ultimas has limitationes veritati conformes esse, ex inferius dicendis apparebit. Sed inquiremus ante omnia in stricti istius juris rationem & philosophiæ adductæ fundamenta.

§. VIII.

Id omnes uno fatentur ore interpretes, præcipuum correos constituendi modum stipulationem apud Rom. fuisse, in qua ad id ipsum, quod disertis verbis expressum erat, unice respiciebatur. Jam vero correis debendi hæc formula composita erat: *Mævi, decem aureos dare spondes? spondeo. Tu quoque, Sese, eosdemne decem, quos Mævius promissit, dare spondes? spondeo. pr. J. de Duob. reis stip.* Itaque quum

singu-

❁ (o) ❁

7

singuli ad integrum debitum solvendum sese obligassent, censebant Romani, non esse, cur alter ab altero solutum posset repetere, qui enim solvit, quod debebat, *integrum*, satisfecisse suæ obligationi, atque a nemine solutum repetere posse videbatur.

§. IX.

Eodem modo cum correi credendi fierent ope hujus formulæ: *Mævi, promittisne te mihi (Lucio) soluturum centum? Eosdemque centum numos, quos Lucio promissisti, mihi (Cajo) quoque soluturam te spondes? Utrique vestrum dare spondeo.* (*cit. pr. f. de duob. res stip.*) non videbatur cogendus alter ad partem alteri restituendam, cum enim singulis integrum deberetur, is, cui solutio facta erat, suum consecutus existimabatur.

§. X.

At ita se habere veritates morales, in *disput. de Fictiombus juris* jam docuimus, ut licet homines earum ignorent fundamenta, nihilominus, stimulante ratione, inviti quasi æquitatem confiteri cogantur: quamobrem etiam Romani æquum censes, actionem seu regressum contra correum dari, ad istas *cessionis* ambages, §. VI. adductas, quasi ad sacram anchoram confugerunt, quibus tamen nihil excogitari potest a ratione juris magis alienum. Nam 1) Creditori, cui plures correi obligati sunt, procul omni dubio *semel* tantum *unum* debitum debetur, atque ubi unus solverit, reliqui liberantur (§. IV.) Ergo *nihil* ipsi amplius *juris superest*, unde nec jam aliquid cedere poterit. Expo- nas mihi, obsecro, num animo tuo possis comprehendere, si tibi aliquid debeam, atque integrum solvam, tuumque jus tali modo tollatur, quomodo jus illud possis denuo cuiquam cede-

cedere? meum certe ingenium, quod sentio perquam exiguum, istam philosophiam non capit. (*)

(*) Agnovit id CARPZOVIVS P. II. Const. XVII. def. 15. n. 7. cuius verba sunt: *Quia plurium, principaliter obligatorum, una & eadem censetur esse obligatio L. 3. D. de Duob. reis. utique & solutio pro tota obligatione facta videtur, qua extincta, nil restat de ea, quod cedi queat.*

§. XI.

Sed videamus, an suppetias ferre huic ratiocinationi ullo modo possimus. Forte res ita cohæret: Notum est, creditorem, qui plures reos debendi sibi habet obstrictos, cum aliquo eorum pactum de non petendo inire posse, reservato nihilominus sibi jure, integrum a reliquis petendi. *L. 21. §. ult. usque ad L. 25. pr. §. 1. D. de Pact.* cum enim optionem habeat, quemcunque correorum velit, conveniendi, poterit sane uni promittere, se nihil *ab ipso* petiturum. Jam si ponas, creditorem alicui reo *quasi remisisse* debitum, atque e spontanea ejus solutione suum consecutum, nihil oberit, quod minus ei jus suum adversus reliquos cedat. Verum ne sic quidem dubia eximuntur. Neque enim id actum inter creditorem & debitorem correum, ut ipsi *remitteretur debitum*, imo illud potius (vel actione instituta) ab invito extortum est: quomodo itaque concipiemus nobis, eundem creditorem debitori *actionem intentare*, suum *repscere*, & tamen *remittere* obligationem? Solutionem *accipere*, & pactum de *non petendo* inire? Hæc animo complecti humanam conditionem aut superat, aut, nisi me omnia fallunt, eadem superatur.

§. XII.

Succedit vero adhuc aliud non minoris momenti dubium. Fingamus tantisper, quod fingi non posse modo inuimus, creditorem *jus suum*, quod habebat, & facta solutione,

tione, retinuit, reo solventi cedere adversus alterum reum. Quaro jam 2) quantum is reposcet ab altero? an integrum quod solvit? hoc certe rarius æquitati congruet, attamen ex jure cesso *totum* petere non prohiberetur. Quantum igitur petet? partemne dimidiam, tertiam, quartam? Non ita se habebat cessio a creditore impetrata, qui *integrum debitum* cessit; ergo *aliud* adfit *fundamentum agendi* necesse est.

§. XIII.

Denique 3) si fundamentum agendi ex jure cesso descendit, cessio procul dubio pro specie pacti erit habenda, jam vero fieri non poterit, ut aliquis ad ineundum pactum cogatur, cum pactum metu extortum obligationem validam atque efficacem *producere* nequeat. Equidem occurrunt in legibus civilibus stipulationes judiciales, ad quas interponendas promissores cogi, notissimum est: at vero istas stipulationes nunquam *novam producere obligationem*, sed jam antea *immediate ex jure* sive naturæ, sive civili competentem supponere, idque efficere, ut vel ignorantiam allegare alter nequeat, vel creditor jus suum facilius executioni possit dare, & ratio juris postulat, & exemplis omnium ejusmodi stipulationum, quotquot sunt, facile evincitur (*). Monet quidem CARPZOVIVS (loco §. X [*] citato) correum solventem hoc ipso nomen *emisse* a creditore, atque ideo eum ad cessionem obstringi: Sed non potest solutio ejus quod debetur emptio nominis dici. Imo quum paulo ante dixisset, debitum per solutionem penitus extinctum esse, deficit certe merx, quæ vendi posset. Ex quibus hactenus a nobis disputatis sole meridiano clarius elucescit,

B

doctri-

(*) Merentur hæc fusioem explicationem, sed eam, partim brevitati studentes, partim dissentiendi materiam opposituris haud crepturi, alii reservamus occasione.

doctrinam hanc de actione, correo solventi adversus coeteros correos ex jure cesso competente, multis contradictionibus & difficultatibus, minime superandis, scetere,

§. XIV.

Ut igitur nostra ponamus principia, & facilia intellectu, & rite demonstrata, incipiemus ab exemplis, atque aliquot species correalis obligationis, extra dubium positas, pramitteremus. Contrahetur itaque correalis obligatio, si quatuor cohæredes, nondum divisa hæreditate, ædes communes reparaturi, pecuniam mutuo accipiant a creditore, hic autem quatuor aliquando actiones movere nolens, cum debitoribus istis paciscatur, ut sibi integrum sit, a quocumque illorum voluerit, totam summam repetere, singulis beneficio divisionis renuntiantibus.

§. XV.

Porro si Lucius, pecuniam mutuam accepturus a Mevio, fidem ejus sequi nolente, sponsorem ei sistat Sempromium, qui una cum Lucio ita subscribat cambio aut chirographo, ut *singuli in solidum* æque principaliter obligentur, absque ullo excussionis aut divisionis beneficio locum habituro.

§. XVI.

Nec minus correalis adest obligatio, quando legibus civilibus plures exercitores navis, cujus magister secundum legem præpositionis contraxit, *singuli in solidum* obstringuntur.

§. XVII.

Ex adductis §§. *præced.* exemplis liquet, correalem obligationem non esse considerandam instar *negotii* alicujus *perfecti* & numeris omnibus absoluti ac *per se subsistentis*, sed ut peculiarem *negotii* cujusdam principalis *modificationem*, in favo-

favorem creditoris, & quidem solius, adjectam. Sic §. XIV. principale negotium est creditum: §. XV. principale negotium creditum est & fidejussio: denique §. XVI. occurrit principale negotium mandatarii, officio quodam præditi, nomine mandantium mutuam pecuniam accipientis. Itaque correalem obligationem definimus: Peculiare jus, creditori, qui plures debitores ratione unius ejusdemque debiti æque principaliter sibi obstrictos habet, competens, postulandi & recipiendi ab alterutro eorum integrum debitum, ut facilius ac certior sit petitio.

§. XVIII.

Dico illud peculiare jus. (§. XVII.) Cum enim secundum simplicitatem naturalem, si quantitas a pluribus æque principaliter debetur, omnibus ad eam solvendam pro rata singulorum parte concurrendum esset, speciatim quibusdam creditoribus concessa est facultas, ab alterutro eorum, qui ipsis maxime idoneus visus fuerit, integram summam petendi. Fieri autem potest, ut tale jus competat vel immediate *ex lege civili*, uti exemplum §. XVI. adductum comprobatur, vel ex pacto, cum ipsis debitoribus inito, (§. XIV. XV.) quo etiam referri debent stipulationes Romanorum, quæ pacta verbis solemnibus celebrata erant, vel ex pacto quod creditor cum debitore defuncto, hæredes suos in solidum obligante, iniit, jure enim novo id fieri posse, omni caret dubio, *arg. totius tit. C. ut actio. & ab hered. & contra hered. incip.* vel denique ex ultima voluntate, si quis quod debebat ita leget, ut licitum sit creditori a quocunque hæredum voluerit, integrum debitum petere, notissimum enim est, testatorem vel uni hæredum debita solvenda injungere, & singulorum portionem hereditariam legatis aliisque præstationibus gravare posse, quare multo magis hæc dispositio valebit: si quis merum legatum lucrativum relinquat, atque ad id præ-

standum singulos hæredes suos in solidum obstringat. *L. 8. §. 1. D. de Legat. 1.* Adde omnino *L. 9. D. de duob. reis. (*)*

(*) Possit ex mente aliorum addi: per *naturam negotii* plures correos constitui. Sed quamvis hac in re multas subesse difficultates existimemus, imo tam antiqui quam recentiores legum interpretes hac in re fluctuasse nobis videantur, usque adeo ut hæc materia integram prolixam dissertationem mereatur: Nostra tamen sententia est, Jctos confundere *correos cum pluribus litis consortibus*. Scilicet si plures conjunctim fundum aliquem vendant, non tam eos correos esse, si fundus evincatur, sed plures litis consortes existimamus. Postulat hoc ratio æquitatis & juris: *omnibus enim denunciatio facienda est, quamvis si non comparuerint, unus qui liti substitit omnibus vincat aut vincatur*. Vide omnino *L. 62. §. 1. D. de Eviction.* idemque sensus est *Legis 139. D. de Verb. Obl.* ex qua etiam cernitur, unius venditoris hæredes pro parte hæreditaria tantum obstringi. Adde *L. 72. pr. D. Eod.* Nec alia est sententia *L. 2. §. 2. D. Eod.* Eademque est opinio VOETII in *Comment. ad Dig. Tit. de Eviction. §. 18.* At vero quos ibi allegat, GAILIVS *Lib. 2. Observ. 14.* & CARPZOVIVS *Part. 2. Const. 34. def. 29.* nimis hoc extendisse & plures venditores unius rei, aut plures unius venditoris hæredes meros debendi correos perperam existimasse, meo judicio, videntur. Faciunt nobiscum LAVTERBACH in *Colleg. Pandect. Tit. de Evict. §. 21.* & BRUNNEM. *ad cit. L. 62. §. 1.*

§. XIX.

Porro dixi, hoc jus creditori competere, utpote cui *soli* ad faciliorem debiti sui persecutionem id concessum est, (§. XVII.) alius quippe finis correalis hujus obligationis adduci nequit. Ergo sive ex stipulatione, sive chirographo simplici, sive cambio, sive alio quocunque titulo (§. XVIII.) hoc jus ipsi quæsitum sit, *merum* tamen id respicit *creditoris commodum*. Imo cum id quoddam *incommodum* debitoribus adferat (§. XVIII. princ.) hi in suam utilitatem corre-

correalem istam obligationem adducere atque urgere non possunt.

§. XX.

Atque ex his jam elucet *πρωτον ψευδος* Romanorum Juris antistitum, quod hodiernos etiam videtur seduxisse. Romani enim in stipulationum argumento solis verbis intenti, ex his *integram debitorum obligationem* metiendam censuerunt, (§. VIII.) & licet hodiernis moribus stipulationes exulent, recentiores tamen varias antiqui juris conclusiones incaute retinuerunt. Nihilominus tamen vel ipsius *stipulationis & correalis obligationis indoles* potuisset contrarium monstrare. Nam stipulatio hæc, inter solum creditorem & debitores correos celebrata, non obest, quo minus hi *inter se separatim* stipulentur vel pacifcantur: Imo correalis obligatio ostendit, uno solvente, *reliquos liberari ab eodem creditore* (§. IV.) quam limitationem si omittas, plus est in conclusione, quam erat in præmissis. An vero *inter ipsos correos* actio superfit, longe alia & separatim excutienda est quaestio.

§. XXI.

Ex eodem principio (§. XIX. adducto) sequitur, correo aliquo a creditore convento, ac solvente, non ex isto chirographo solo alterum correum conveniri ab ipso posse, adeoque locum non habere petitum simplex, ut vel *agnoscat & confiteatur se scripsisse, eoque facto condemnetur; vel jurejurando adjecto id neget reus*, quod alias quando *ex instrumentis liquidis* in foris Saxonix atque alibi passim actio movetur, obtinet: Cum enim istud instrumentum salius creditoris favorem respiciat, doceatque, quid *inter ipsum & correos* fit actum, inde nondum cernitur, an, & quan-

rum alter ab altero correorum possit repetere. (*) Fieri enim potest, ut *fidejussor ac debitor principalis* conjunctim tali chirographo subscribant, (§. XV.) jam vero injustum foret, si *debitor principalis solvens*, fidejussorem suum conveniret. Ergo actione ita instituta, locum habebit exceptio inepti libelli, atque interlocutoria decernendum est: actionem ex hoc solo fundamento agendi institutam, locum non habere (vulgo: **daß die Klage angebrachter massen nicht statt habe.**)

(*) Si hæc ratio deficiat, atque ex ipso liqueat instrumento, quid inter *correos ipsos* actum sit, tunc demum chirographum non tam ad fundandam, quam potius probandam actionem plurimum conferet. Exemplum dabimus infra §. XXIII. [*] & §. XXXI.

§. XXII.

Sed jam quaestio emergit: Ex quonam igitur fundamento debitori, debitum solventi integrum, adversus correum debitorem actio instituenda sit? Qua de re distincte pronuntiandum est. Si correalis obligatio e *pacto* (sive contractu, utrumque enim nobis hoc loco idem est) descendat, circa quod jure novo requiritur, ut expresse inter creditorem & debitores hoc actum sit, *Nov. 99. auth. hoc ita C. de Duob. reis stip.* respiciendum est ad id, quod inter ipsos *debitores* speciatim gestum est. Postulat hoc ratio juris atque indoles correalis obligationis, quæ ad *solum* creditoris jus pertinet (§. XVII.) Ergo si focii, qua tales, debitum contraxerunt, locum habebit actio *pro socio* ad partem ejus, quod solutum est, recuperandam; si cohæredes, *familie herciscunde* judicio solvens a reliquis cohæredibus pro parte, ex qua hæredes sunt, solutum repetet. (Vide exemplum §. XIV. adductum.) Si alter pro altero fidejus-

fig

fit (vid. §. XV.) fidejussor solvens repetet *integram* summam solutam actione *mandati* ubi pro volente; actione *negotiorum gestorum*, ubi pro inscio fidejussit: Denique, in eodem exemplo si ipse *debitor principalis*, qui una cum fidejussore correali obligatione obstrictus erat, solvit, nihil prorsus repetet. Unde ex dictis simul planum est, ex hoc negotio principali, quod *inter ipsos* correos actum est, non solum de *quantitate*, usque ad quam actio mutua inter correos datur, verum & de eo, *an* omnino hac actio locum habeat, iudicium ferendum esse, quod e *solo* chirographo per se perspici posse negavimus §. XXI.

§. XXIII.

Ne ullum supersit dubium, formulam agendi adponemus, & quidem actionem pro socio, ex qua de reliquis etiam facili negotio ferri iudicium poterit. Ita autem se habebit: *Communem cum Lucio negotiationem exercui usque ad initium hujus anni: Credidit autem nobis Favolenus ante biennium centum imperiales, negotiationi nostræ impendendos, & singuli in solidum chirographo subscripsimus. Quum igitur ego creditori integrum debitum solvere coactus fuerim, Lucius autem dimidiam partem mihi sponte sua restituere recuset, ad quod tamen ex contracta inter nos societate obstrictus est, non possum non actione eum pulsare. Peto igitur -- decerni: Lucium ad quinquaginta Imperiales mihi cum omni causa restituendos obstringi.*

§ XXIV.

Ponimus itaque fundamentum agendi in adducta §. *præc.* specie primario in *societate*, quam tamen ex ipso cambio aut chirographo *qua tali & per se* (*) apparere, supra negavimus. Unde nova emergit difficultas, quomodo fundamentum agendi *probandum* sit. Sane si creditori de
co,

eo, quod inter contrahentes actum est, constet, poterit is testis adduci, ex quo enim ipsius creditum per solutionem sublatum est, nequaquam suspectus censendus erit, modo non ex aliis causis a testimonio arceatur: atque ita semiplena peracta probatione, jusjurandum suppletorium locum habebit: Sin vero creditor ignoret, quam in rem mutuan pecuniam correi acceperint, aliaque deficiant probandi adminicula, necesse erit, *jusjurandum reo deferre.*

(*) Fieri enim potest, ut ipsorum quoque nexus inter se chirographo expressus sit, v. gr. si in eo disertis verbis legatur: *ipfos socios in communem negotiationem mutuum accepisse, item se debere pro mercibus quibus commercia communia exercuerunt &c.*

§. XXV.

Hinc utilissimæ cautelæ practicæ loco tenendum est, ut ubi correalis obligatio pacto contrahatur, correi inter se separatim instrumentum conficiant, ex quo, quid inter ipsos actum sit, liquido constet, ne integrum debitum solvens, postea rem omnem conscientiæ alterius committere cogatur, vel altero mortuo, majus adhuc periculum ratione hæredum, sæpe in ignorantia, quæ superari non potest, versantium, subire necesse habeat.

§. XXVI.

Quodsi vero defunctus hæredes suos sive ope chirographi, sive testamenti correos constituerit. (Vid. §. XVIII.) actio familiæ herciscundæ pro partibus hæreditariis inter eos locum habebit. Nam inter ipsos cohæredes *debita* defuncti ipso jure divisa esse, eosque ad præstanda *legata* concurrere debere, expediti juris est *L. 12. ff. de Duob. reis co-
sist. L. 124. de Leg. 1.* Quamvis autem testator aliquem ex hæredibus magis quam alterum gravare possit, ex hac tamen

sola

sola clausula id nondum colligitur, quæ spectat ad merum jus creditoris. (§. XIX.)

§. XXVII.

Si correalis obligatio immediate ex lege descendat, locum inter correos habebit vel itidem actio *pro socio*, vel utilis actio *negotiorum gestorum*, vel actio *in factum*. Scilicet lex, quæ eos correos constituit, ad hoc unicum tendit, ut creditori tali modo facilior aperiatur via, jus suum persequendi (§. XIX.) Ergo ipsis debitoribus, inter se spectatis, id nec nocet, nec prodest. Sic igitur liquet: cum plures exercitores navis e magistri contractu singuli in solidum obligentur. *L. 1. §. ult. L. 2. L. 3. ff. de Exercit. act.* alterum, qui integrum solvit, repetere ab altero partem posse actione pro socio, qui enim navem conjunctim exercent, lucri & damni, quod inde rediturum est, æquali jure participes futuri, procul dubio socii sunt, & quod magister navis secundum legem præpositionis contraxit, debito uterque sociorum procul dubio obstringetur. Dicitur autem expresse in legibus: in solidum agi contra singulos, *ne in plures adversarios distrahatur, qui cum uno contraxit*, ex quibus verbis veritas eorum, quæ modo innuimus, evincitur. Ex dictis simul satisfieri potest GROTIUS qui in immortalis opere de *J. B. & P. Lib. II. cap. XI. §. 13.* existimat, hanc juris Romani dispositionem contra jus naturæ esse. Foret id verissimum, si nulla inter exercitores ipsos locum haberet actio: jam vero cum jus Romanum solummodo creditori promptissimum nomen suum exigendi remedium ad augendam magistri navis fidem & promovenda commercia, concedere intenderit, nihil sane continet iniqui, nam omnino imperantis civilis est, civibus largiri actionem non ex meris juris naturæ, sed

sed & prudentiæ legislatoriæ principiis, quæ non ad id respicit, quod hic & nunc singulis prodest, aut nocet, sed quod omnibus, aut saltem pluribus expedit. Eadem quæ de exercitoribus navis diximus, obtinent etiam inter eos, qui infitorem tabernæ præposuerunt, contra quos singulos pariter actio in solidum datur. *L. 13. in f. D. de Instit. act.*

§. XXVIII.

Hilce suppositis, nec absurdum erit, adferere, pluribus quasi ex maleficio obligatis in solidum, solventem, ejus, quod dedit, partem repetere posse a correis: eadem enim his quoque casibus ratio est, quæ in speciebus §. præced. adductis. Sic cum duo vel plures, in eodem cœnaculo habitantes, ex edicto prætorio *de effusis* singuli in solidum possint conveniri, ei qui integrum solvit, adversus correum actio competet ad partem recuperandam, qua de re ne quid dubii superfit, & fundamentum agendi liqueat, juvat rem distinctius expendere. Cum secundum Jus Naturæ quilibet ad damni, dolo suo vel culpa dati, reparationem sit obstrictus, ejus quoque, qui per effusionem vestes alterius conspurcavit & tali modo nocuit, eandem esse obligationem, omni caret dubio, unde liquet, naturalem & principalem obligationem esse *damnum inferentis*. Quoniam autem Romæ deficiebat fere nocturno tempore viis publicis securitas(*) & probatu difficillimum erat, quisnam dejecisset, ut *facilior esset damni reparatio* prætor edictum proposuit, inque eo actionem in duplum dedit adversus inhabitatorem ædium aut cœnaculi, unde esset dejectum *L. 1. pr. ff. de his qui effud.* Quamvis vero id ad securitatem *prætereunium* sit statutum, non tamen hoc ipso *actio in factum* adversus eum, qui effudit, & actio

Etio *pro socio*, si plures habitant, excluditur, recte obser-
vante Paulo L. 4. ff. eod.

(*) IUVENALIS Sat. 3.

Respice nunc alia & diversa pericula noctis.
Quod spatium tectis sublimibus unde cerebrum.
Testa ferit, quoties rimosa & curta fenestris
Vasa cadunt, quanto percussum pondere signent
Et lædant silicem. Possis ignavus haberi,
Et subiti casus improvidus, ad cœnam si
Intestatus eas: adeo tot fata, quod illa
Nocte patent vigiles, te prætereunte, fenestræ.
Ergo optes, votumque feras miserabile tecum:
Ut sint contentæ patulas effundere pelves.

S. XXIX.

Intuitu plurium correorum, ex delicto vero obliga-
torum, gravius superesse dubium videtur, etenim hi non
solum ex principiis juris civilis & prudentiæ legislatoriæ,
verum etiam ex ipso jure naturæ singuli in solidum ob-
stringuntur, cum enim alterius concursus alterum in pra-
vo nocendi consilio confirmaverit, imo alterius exem-
plum interdum alterum incitaverit; in læsionibus autem,
extra contractus datis, ad damni reparationem sufficiat,
quacunque culpa damnum datum esse, hinc æquum est,
ut quisque damnum reparat. Verum enim vero ita calcu-
lum subducere adhuc *favor læsi* nos jubet: sed si omnes,
qui læserunt, bonis sint præditi, eorumque facilis detur
copia, ut omnes concurrant *æquitas* suadet. Semel enim
damnum reparari sufficit, ad quod cum non alter læden-
tium magis, quam alter obstringatur, æquum est, omnes,
si solvendo sint, æquis partibus concurrere. Ergo, qui
solus solvere coactus est, in eo, quod præter partem suam
præ-

præstitit, reliquorum gessit negotium, & consequenter partes reliquas repetet *actione utili negotiorum gestorum*. Objiciunt quidem interpretes, *ex delicto nec beneficia juris nec actiones* competere, adeoque nec beneficio divisionis, nec actioni contra reliquos correos locum esse: At probe tenendum est, actionem hanc non descendere ex delicto aut latione, sed ex eo, quod quis solvit, damnumque datum reparavit, quis vero diceret, solutionem hanc delictum esse?

§. XXX.

Sic itaque patet æquitas rescripti *Diocletiani & Maximiani in L. 2. C. de Duob. reis stip.* *Creditor prohiberi non potest exigere debitum, cum sint duo rei promittendi ejusdem pecunie, a quo velit. Et ideo si probaveris te conventum in solidum exsolvisse, rector provincie juvare te adversus eum, cum quo communiter mutuam pecuniam accepisti, non cunctabitur.* Quibus verbis & fundamentum actionis creditori competentis, quod ponitur in correali obligatione, adducitur, & fundamentum actionis, qua debitor solvens adversus alterum usurus est, scilicet quod communiter *mutuam pecuniam* acceperint: de cessione autem altum ibi est silentium. Liqueet simul, firmis principiis niti pragmaticorum opinionem, qui vulgo tradunt, *ex æquitate uni, solidum solventi, adversus reliquos regressum dari oportere, aliquando in solidum, aliquando pro virili portione, prout aut nihil aut aliquid ad solventem pervenit, ex eo, cujus intuitu correi facti sunt, etiam sine cessione actionis.* Quæ verba sunt *VOETII in Comment. ad Dig. Tit. de Duob. reis constit. §. 7. in fine*, ubi allegat *VINNIUM, ANT. FABRUM* atque *HUGONEM GROTIUM*. Addit autem *VINNIUS, Ita visum interpretibus*
com-

communiter & sepe iudicatum est, adducens CHRISTIN. Vol. 3. decis. 114. & Vol. 4. decis. 178. De eadem re, quasi notissima scribit PER-ILLUSTR. DN. A WERNHER Select. Observat. for. Vol. 7. pag. 279. Præterea expeditum atque in vulgus notum est, ex pluribus correis singulos in solidum conveniri posse, salvo tamen ei, qui creditori satisfacit, adversus reliquos regressu. Pertinent huc etiam quæ habet CARPZOVIVS in Jurisprud. for. Part. 2. const. 17. def. 14. ubi docet, correo debendi, etiam non facta cessione, actionem adversus correum pro repetitione partis dari, ubi inter alia ita scribit: *Esi enim hætenus negotium suum gesserit, quod in solidum obligatus fuit, eo tamen respectu, quo correum liberat, ipsius simul gerere negotium censetur, ut non absurde quæpiam actionem negotiorum gestorum correo tribuendam dixerit, quæ & variis casibus, quibus deficiunt actiones ordinariæ, solet accommodari. L. 21. & tot. tit. D. de Negot. gest.* Cæterum philosophiam Carpzovii non esse universaliter veram ex hætenus disputatis sponte sua elucet. Vid. inprimis §. XXII.

§. XXXI. Cum igitur a nobis deducta in omnes correos debendi quadrent, nullum mihi superest dubium, cur in casu plurium fidejussorum, qui id speciatim atque expresse egerunt, ut *correi inter se* essent (Nov. 99.) aliud dicendum sit. Nam definitione correorum pariter comprehenduntur: (§. II. & §. XVIII.) nec est quod dicas, ipsos non *æque principaliter* obligari, id enim solummodo adstrui potest *respectu ipsius debitoris principalis*, cujus intuitu *jure novo* (*) *æque principaliter* obligati non sunt: *ast inter se spectati*, *æque principaliter* tenentur. Eo ipso autem, dum fidejudent conjunctim, secundum simplicitatem

tem naturalem concurrere debent ad debitum solutione tollendum: Ergo per pactum, quo correi constituuntur, tacite alter alteri mandatum dat, ut existente eventu, suo nomine itidem solvat, adeoque competit ei, qui integrum debitum præstitit, adversus correos fidejussores actio mandati, si non directa, saltem utilis. In alia quidem omnia abijt antea laudatus CARPZOVIVS, *cit. l. def. 15.* qui unicum superesse remedium censet cedendarum actionum, rationes diversitatis inter correos & plures fidejussores, singulos in solidum obstrictos, allegans, quas tamen me non percipere, hoc est, vim earum ac nervum probandi haud intelligere, ingenue confiteor.

(*) Notanter dico: *jure novo.* Antiquo enim jure, quod in *Dig. Tit. de Fidejuss.* exhibetur, fidejussor & debitor principalis fere instar correorum erant. Verbis enim solemnibus hæc obligatio contrahebatur; & formula erat: *Eisdem centum numos, quos Titius debet, fidei tua esse jubes? fidejubeo,* quæ si cum formula §. VIII. adducta conferatur, fere cum eadem convenit. Hinc in arbitrio creditoris erat positum, velletne fidejussorem, an debitorem principalem venire; hinc si in majorem summam se obstrinxisset fidejussor, omnino non obligabatur, hinc si plures fidejussissent, hoc ipso *per se* erant correi &c. Quæ tamen omnia, partim edicto Prætorio de *Constituta pecunia*, partim novioribus Imperatorum constitutionibus in Codice mutata, incaute compendiis suis & systematibus passim Dd. inserunt. Atque iidem Pandectarum textus Carpzovio imposuerunt.

§. XXXII.

Ex hæctenus deductis quilibet, vel me non monente, intelliget, qua exceptione correo, ab eo, qui solvit, convento, sit utendum. Exceptionem non competentis actio-

actionis ex ipsa correalis obligationis formula frustra opponet. Collineat quidem huc philosophia §. VIII. allata; eaque intuitu *creditoris* est verissima, ratione debitorum autem minime stringit, secundum ea, quæ ad nauseam usque dicta sunt & repetere supervacaneum foret. Ergo uti alter alterum ex eo, quod inter ipsos actum est, atque e nexu, quo sibimet invicem obstringuntur, convenit: ita ex iisdem fundamentis petendæ sunt exceptiones. In adductis itaque §. XXIII. & §. XXVI. speciebus, recte excipiet reus; actorem secum finita societate, aut hæreditate divisa, pactum iniisse, quo solus ad istud solvendum debitum se obstrinxerit, atque ita exceptionem *pacti* opponet; & nullum est dubium *solutionis* (si denuo petatur [*]) *compensationis*, *doli specialis* aliasque exceptiones locum habere posse.

(*) Notanter dico: *si denuo petatur ab eodem actore*. Alias autem exceptionem *solutionis creditori* factæ ipsis hujusce paragraphi verbis jam exclusimus. Sed si correus ex *jure a creditore cesso* agat, non video, quomodo, si juris analogiam sequimur, hæc ipsa exceptio possit evitari. (per. §. IV.)

§. XXXIII.

Antequam ab hac materia discedamus, juvat adhuc ingeniosam excutere speciem, quam a nemine decisam meminimus. Fac, creditorem, qui duos correos Lucium & Titium ex eodem cambio aut chirographo sibi obligatos habet, cum Lucio non solum pactum de non petendo, ad *personam* ejus restrictum, iniisse: verum etiam eidem jus suum, ex chirographo quæsitum, cessisse. Quæro: an valeat cessio, & quantum inde Lucius consecuturus sit? Pacto ejusmodi ad *personam* restricto nomen creditoris
non

non omne expirare, expediri juris est, optionem enim habet, quem ex duobus reis convenire velit: Ergo & ius perdurans valide cedi potest. At vero creditor cessione sua seu pacto obligationes illas, quæ *correos inter ipsos* contractæ sunt, atque a jure creditoris differunt (§. XVII. *juncto* §. XXII.) tollere non potest, nam inter alios acta juri tertii non nocent: Ergo ut liqueat, an, & quatenus actio hæc exceptione elidatur, de nexu correorum inter se dispiciendum est. Si focii *omnium bonorum* sint, inanis erit actio: Si mutuam pecuniam uterque acceperit, in communem utilitatem versam, ad partem saltem *dimidiam* solvendam obstrictus erit debitor cessus; allegabit enim reus, si ipse *creditori* aut cuicumque ejus *cessionario* integrum debitum solvisset, obligari tamen ipsum *actorem* ad partem dimidiam restituendam (§. XXII.) Ergo ratione hujus partis exceptionem opponet *doli*, nam dolose petit, qui petit id, quod mox restitutus est *confer. L. 2. §. 5. D. de Dol. mal. except. L. 36. D. de verb. obl.* Si cessionarius fidejussor, reus autem cessus debitor principalis fuerit, uti in adducto §. XV. exemplo, tantas cessio habebit vires, ut *integrum* debitum juste sit petiturus cessionarius: Si speciem invertas, scilicet eum, cui cessio facta est, fuisse *debitorem principalem*, cessum autem debitorem pro hoc tantum fidejussisse, doli specialis exceptione tota elidetur actio. Coeterum si *chirographum & cessionis instrumentum* liquidum sit, adductæ autem exceptiones confestim probari nequeant, per accidens, ob processum nempe executivum, in favorem commerciorum introductum, evenire poterit, ut debitor cessus *interim* solvere cogatur, (*) salva tamen ipsi reconventionem, qua indebite solutum

condicet. Atque ex his denuo elucet summa utilitas cautela §. XXV. commendata.

(*) Cave tamen inde concludas cum nonnullis recentiorum, occurrere hodieque in cambiis negotia stricti juris, qualia apud Romanos erant. Quod enim doli, metus, erroris aliaque exceptiones rejiciuntur, unice ob processum fit, si in continenti probari non possint: attamen salva est reo reconventio, quod sane in stricti juris negotiis apud Romanos longe aliter sese habebat.

§. XXXIV.

De correis debendi satis abundeque actum: superest ut de *correis credendi* eorumque mutua actione brevibus adhuc dispiciamus, servata eadem, qua supra usi sumus, methodo. Constituentur autem procul dubio correi credendi, si Lucius a pluribus cohæredibus, nondum divisa hæreditate, æs alienum accipit, & veritus, ne forte difficultas quædam ratione solutionis oriatur, si uni eorum plus, quam per portionem ipsius hæreditariam licuisset, solverit, expresso sibi prospicit pacto, ut permissum sibi sit, ad omnium jus perimendum, integram pecuniam uni eorum solvere.


§. XXXV.

Sic quoque correi credendi occurrent, si Cajus, Hamburgi habitans, a quodam creditore, Amstelodami degente, mutuam pecuniam accipiat, pacto adjecto, ut integrum sibi sit, vel ipsi creditori, vel institori ejus, aut mandatario, negotia ipsius Hamburgi administranti, totum solvere debitum.

D

§. XXXVI.





§. XXXVI.

Nec minus correi credendi aderunt, si plures socii, dissolvendam societatem jam meditati, debitoris alicujus fidem sequantur, sed ut facilius inter ipsos sit bonorum divisio, chirographo debitoris inferendum curent, singulis facultatem concedi, integrum exigendi debitum.

§. XXXVII.

Clausulam correalis debiti semper in *favorem creditoris* adjici, superioribus §§. evictum dedimus. Et quamvis videri possent correi credendi in gratiam solius debitoris constitui, idque ipsum ad meras *debitoris* cautelas pertinere censeatur, quod etiam exemplis, §. XXXIV. & XXXV. adductis, confirmatur, & plurimi commentatorum ad Digesta monent: docet tamen exemplum §. XXXVI. in medium prolatum, fieri etiam posse, ut creditores hac ratione suæ utilitati promovendæ studeant, propriique commodi causa correi credendi esse malint. Quicquid vero horum sit, hoc saltem e speciebus adductis, omnibusque aliis, quotquot excogitari possunt, exemplis ad oculum liquet, nec *hac clausula*, qua correi credendi constituuntur, *integrum absolvi negotium*, adeoque definimus *correale creditum: modum aliquem, credito impostum, ut pluribus creditoribus unius ejusdemque debiti singulis competat exactio totius ab eodem debitore, (ad hunc effectum, ut debitor, uni satisfaciens, ab omnibus liberetur.)*

§. XXXVIII.

Modus hic credito impostus (§. *preced.*) perinde uti in correali debito diximus, non solum ex pacto *L. i. §. 44. L. 17. D. Depos.* verum & ex lege descendere, imo etiam

iam ex ultima voluntate originem suam repetere potest. Veluti si testator duobus conjunctim aliquid leget, addita clausula, ut hæres, uni integrum legatum præstans, ab utroque liberetur (*conf. L. 8. §. 1. de Legat. 1.*) An autem ex ipsa natura rei debita *per se* tales credendi correi constitui possint, vehementer dubito, prouti de correis debendi idem adstrui non posse, supra defendi. Quamvis enim Pomponius dicat; *Stipulatoris viæ vel itineris hæredes singulos in solidum habere actionem L. 2. §. 2. D. de V. Obl.* comitode tamen hæc verba ita accipi poterunt, ut praviam reliquorum *cessione*, vel *mandato*, unus possit petere: alias enim uni petenti obstabit exceptio *plurium litis* consortium: forte & dici posset, *singulos* poni pro *omnibus*, conjunctim agentibus litisque consortibus.

§. XXXIX.

Promissi autem nostri (§. I.) memores, nolumus prolixè excutere, quot modis satisfacere debitor creditoribus possit, cum sufficiant quæ ea de re attigimus §. V. nec dispicere, an, & quamdiu debitor optionem habeat, utri correorum credendi velit solvere, nam hæc ubivis sunt obvia. Saltim de eo quarimus: qualis adversus eum, qui integrum debitum exegit, alteri detur actio? Et sane secundum principia supra posita nulli dubitamus, ex ipso *negotio principali*, vel eo, quod *inter ipsos correos creditores actum est*, actionem competere. Ergo in casu §. XXXIV. adducto *familie heriscunde iudicium* locum habebit, ad partem alteri restituendam: in casu §. XXXV. allato institui poterit *actio mandati*, ad integrum id, quod mandatarius accepit, mandanti tradendum; sed si in eadem specie mandanti ipsi solutio facta sit, mandatarius *carebit actione*. In casu paragraphi §. XXXVI. obtinebit a-

ctio pro socio; denique in casu §. XXXVIII. recte instituetur actio in factum, aut, si mavis, ex quasi contractu agnitionis, dum enim agnovit legatarius accepitque legatum, consensit etiam in causam legato coherentem, ut scilicet legatum cum altero divideret, dummodo id a testatore actum esse probetur, ut utriusque lucro legatum cederet.

§. XL.

Quæ de exceptionibus correorum debendi dicta sunt §. XXXVII, facili negotio ad correos credendi itidem applicantur. Nec minus ex deductis liquet, ipsis quoque utilissimum esse, speciali instrumento sibi prospicere, ut inde, quid inter ipsos actum sit, evidenter intelligi possit. Cumque hanc actionem omnes commentatores & practici sine cessionis ambagibus (quippe quæ hic per rerum naturam fingi non possunt) concedant, quam tamen sententiam limitatione indigere §. *preced.* ostendimus, in re facili prolixitatis vitium evitaturi, vela contrahimus.

Tantum est.

COROLLARIA.

I. Falsa quidem erat antiquorum sententia, e meris verbis solemnibus oriri obligationem in contractibus:

II. Attamen non melior est hodiernorum doctrina: e solo consensu obligationem hanc derivandam esse.

III.

III. Quamobrem cum in contractibus sæpissime occurrant præstationes, de quibus partes non cogitarunt, ad præsumptum & fictum confugere consensum necesse habent.


IV. Nostra sententia est: circa contractus triplex spectandum esse obligandi fundamentum. Proximum quidem & contractibus proprium est a) consensus, signis externis declaratus, atque animo jus sibi ab altero acquirendi acceptatus; hæc enim cum consensu solícite jungenda sunt, ne contractum cum conspiratione plurium & consensu in delictum committendum &c. confundamus: At vero cum hæc consensus declaratio *verbis* potissimum fiat, hæc autem certam atque usu receptam significationem habeant, hinc ß) obligatur quisque ad id, quod receptus verborum significatus postulat, sive ipse de hoc cogitaverit, sive non. Denique γ) cum circa contractus etiam occurrant interdum læsiones dolosæ aut culposæ, generalis obligatio Juris Naturæ spectanda est, damna ejusmodi esse facienda: saltem cum alter in id consenserit, ut alter circa res suas versaretur, non tanta diligentia requiritur, quanta extra contractus adhibenda est, ut damna aliis danda evitentur.

V. Ex eo quod Coroll. præced. lit. ß) dictum est, exponi debent duodecim tabularum verba: *ui lingua nuncupasset, ita jus esto*, nec minus axioma illud: *Interpretatio adversus eum facienda est, qui clarius loqui debuisset*, h. e. qui a recepto verborum usu vult recedere, aut receptam negotii, quod tractat, indolem vult mutare.

NOBILISSIMO AC POLITISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

DISPUTATIONIS PRAESES.

 *Ordido alicui hospiti, condivis, eidem
coena mensaque admotis, diversorum
generum vina propinanti, quod vitio vertit
Plinius Secundus, ipsum gradatim
amicos habere, id absque justa cuius-
quam indignatione de memet ipse haud inditus
fateor, gradatim me habere auditores meos,
nec equali omnes animi propensione prosequi.
Neque tamen adfectum meum, vel emolumenti
spe, vel computationum numero & adparatu,
vel adulationum impudentia, vel colligendo-
rum & quasi conscribendorum adsentatorum
dexteritate, vel calumniandi emulos callidita-
te & solertia; sed sola ipsorum animi indole
metior. Quae quum ita sint, TE, Ornatis-
sime Holsti, quum ob morum integritatem,*

Vere-

1
verecundiam, suavitatem, ingenii præstantiam atque inflammata[m] discendi industriam semper probavi, non potui non effusissime diligere. Elegisti studiorum ordinem, quem servare oportet eos, qui & solidam & utilem animo complecti jurisprudentiam, atque ultra sive rabularum, sive scribarum forensium captum sapere, in votis habent. Quem in finem mentem preparasti meditandi præceptis, probe gnarus, e legibus formari argumenta, quæ per somnium oblata existimari possent, nisi sciamus regulas, quibus vera & falsa judicentur, & quæ, positæ certis principiis, sint, quæve non sint consequentia. Tum juris naturalis & politices studio Te dedisti, fontium, ex quibus leges civiles cujuscunque reipublice derivatæ sunt. Ita demum in jure privato & publico progressus haud vulgares facere Tibi facillimum erat. Haud ignoras, in patria Tua non vigere Jus Romanum, ut saltim textus ejus & leges in numero habere sufficiat: At vero qui illud

ita

ita enucleatum accepit, uti ratio insinuat;
uti excogitatae sunt leges, saltim excogitari de-
buisent; qui & sana veterum Juratorum ra-
tiocinia & paralogismos pervidet, qui specia-
les legum civilium rationes, ab historia atque
antiquitatibus repetitas, perspicit; is, inquam,
ubicunque terrarum sedem figere fors tulerit,
utilem & rerum argumentis applicandam
mente tenebit civilem sapientiam. Gratulor
itaque Tibi & hos exantlatos, & suscipiendos ad-
huc labores; mihi vero, quod e scholis meis iterum
civem aliquem patriae Tuae sim redditurus, cui
etiam advenas exhibui, negotiis civilibus sive jam
admotos, sive admovendos. Si quid meae com-
mendationes, si vota valent, in spem adducor
certissimam, fore, ut sparte in republica Te prae-
fecturis patronis & fidem, & modestiam, &
dexteritatem & diligentiam probes, ut nemo ma-
gis, denique sartus atque incolumis diu vigeas.
Vale, Holsti suavissime, & scholarum no-
strarum memor esto. D. e museo VIII Calend.
Octobr. MDCCXXXI.

02 H 1210

ULB Halle 3
003 100 359





H 12651

Q. D. B. V.

EMENDATIO DOCTRINAE PRACTICAE
DE
CORREIS
EORVMQVE MVTVA ACTIONE
(VVLGO REGRESSV)

QVAM
PRAESIDE

DANIELE FRIDER. HOHEISEL
I. V. ET PHIL. D. AC REGIAE BORVSS.
SOCIET. SCIENT. SOD.

IN FRIDERICIANA ACADEMIA
D. XXIIIX. SEPTEMBR. MDCCXXXI.

H. L. Q. C.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIET
IOHANNES VALENTINVS HOLST
RIGENSIS LIVONVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
LITTERIS IOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, ACAD. TYP.

